

Albereda, signora di Colobrarò e Policoro

F 4

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Albereda, signora di Colobrarò e Policoro

F 4

1117-08

In nomina Domini nostri Iesu Christi, anno ab incarnatione eiusdem millesimo centesimo septimo decimo, indixione decima, mense augusto. Dum ego Albereda in Colubrario et Policorio presiderem annuente Deo domina et eorum castrorum territorium iure dominans,

cogitans intra me et diu considerans Deo obnixo posse placere temporalem scilicet postponendo vitam et eternam eiusdem dispensante clementia acquirendo, ad me venit Ioannes sacerdos Colubarii qui et condam fuit meus notarius et deprecavit me ut eum quietum ab omnibus secularibus rebus cum cunctis suis rebus clamarem et ut Sancti Nicolai de Peratici ecclesiam concessionem cum cunctis suis pertinentiis libere, que iuxta flumen Signi posita est, quam pro mercede et peccatorum remissione non solum virorum verum etiam mortuorum, et ut verius dicatur pro salute et redemptione anime mee et viri mei domini R(iccardi) Senescalci et domni Alessandro di Chiaromontedomini et dominiRiccardo di Chiaromonte meorumque consanguineorum omnium Roberti videlicet Guiscardi invictissimi ducis et filii eiusdem domini Boemundi necnon domini Roggerii de Pomerada carissimi mei condam viri, deliberavi ipsum Ioannem sacerdotem cum suis rebus ab omni seculari servitio et concessi ei Sancti Nicolai predictam ecclesiam suisque successoribus cum omnibus que sibi iure pertinent, tali denique pacto talique tenere trado et offero eandem ecclesiam (cum) omnibus sibi pertinentibus tibi tuisque successoribus ut amodo et usque in sempiternum possideatis et dominemini et absque omni mea meorumque heredum ac successorum

contrarietate vel molestatione. Preterea concede ut potestatem abeatis affidare quantoscumque poteritis homines in ipsa ecclesia et ut in territorio Colubri abitent; pactum quoque quod eis feceritis firmum et stabile permaneat quatenus nec a me nec a meis heredibus sive successoribus ullo in tempore removeatur seu infingatur. Insuper dono tibi tuisque successoribus proprie et perpetuo ad hopus eiusdem ecclesie terram que fuit mea propria et incipit a capite de terra de Fulco Malebende comodo descendit cursus aque usque ad terram de Anthimo et sicut (de)scendit canale usque ad predictam terram de Fulco, ad possidendum et dominandum qualiter annos et.....reda et ego uno die unaque nocte possedimus et dominati sumus. Hec omnia vero superius.....tibi predicto Ioanni sacerdoti quam et tuis successoribus ad possidendum..... propriamque voluntatem faciendum, sine omni mea meorumque heredum ac successorum contrarietate vel molestatione omni futuro tempore. Si quis autem hoc mee parvitas donum disrumpere vel in aliquo minuere voluerit, omnibus maledixionibus que in Sacris Scripturis scripta sunt involbatur. Et quicumque temerario ausu infringere, minuere vel evacuare in aliquo tentaverit qualicumque ingenio seu occasione perpetuo anathemate anathematizetur, et a gremio Sancte matris ecclesie seu a corpore et sanguine Domini nostri Iesu Cristi omnimodo alienetur et gladio Sancti Petri in anima et corpore percutiatur et ad finem cum Iuda proditore domini partem abeat in die perditionis, nisi resipuerit et ad congruam emendationem venerit.

Ad firmamentum autem et stabilitatem uius oblationibus manu propria signum Sancte atque vivifice crucis inprexi

et meis equitibus aliisque bonis hominibus Sanctissimum crucis signum designare mandavi et brebe hoc donationis seu oblationis a Leone meo proprio notario et subdiacono scribere rogavi. # Signum manus Roberti Buzelli # Signum manus Raidulfis de Cerenza # Signum manus Stefani sacerdotis # Signum manus Ugonis de lu toppo # Signum manus Guidelmi de lu monte # Signum manus Leonis Fuca # Signum manus Nicolai de alberu # Signum manus Guidelmi Malabotta # Signum manus Migualis iudicis # Signum manus Ascentini vicecomitis # Signum manus Roberti de Tarento # Signum manus Arsafi de Pizileo.